Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

abstulerant obsidibusque datis pacem postulant. Et sic toto orbe Romanis subiec
to et descripto, tertio ab augusto ianus clauditur, ac per XII annos clausus mansit. Ipse vero
augustus quamvis iam totius orbis esset dominus, numquam tamen serio vel ioco dominum passus est se voca
ri. Vere profecto superbie nostri temporis obviat, qua hii summopere christiani et sacerdotes exposcunt, quod Romanis in rui
tunc gentes declinarent. V

Eo tempore dum iudeis sicut et ceteris gentibus census indiceretur ab augusto, Cyrino preside, Iu
das galileus, qui in actibus apostolorum memoratur, fuisse invenitur. De quo in hystoria iudaica
belli secunda Iosephus sic ait: Quo tempore vir galileus Iudas nomine ad discessionem cogebat,
pessimum fore persuadens eis, si acquiescerent persolvere tributa Romanis, et post deum
mortalem suscipere dominatum. De Cyrino vero sic ait: Cyrinus vir unus ex consensu curie per
singulos magistratus usque ad gradum consulatus ascendens, ceterum quoque honorabilis, cum
paucis in Syriam venit a Cesare vero ius dare gentibus missus. VI

Itaque sedatis iam omnium seditionum motibus, pace inaudita seculis reddita, to
tique mundo ad Romanorum censum descripto, anno vero ab urbe condita DCCLII,
revolutis ab Adam quinque milibus quingentis annis, regnante in iudea herode
filio antipatris alienigena, ebdomoda iuxta danielem LXVI, Ihesus Christus fili
us dei, secundum carnem filius david, ex Maria virgine in Bethlehem nascitur.
Quia ut lux mundi paxque vera monstraretur, eadem qua natus est nocte pastoribus cum mag
na luce angelus gaudium nati predicans apparuit, cui multitudo celestis exerci
tus consonans gloriam in excelsis deo decantant, pacemque inter homines venis
se denunciat. Et nota quod sicut supra dixi Babyloniorum ac Romanorum regna similem
ortum progressumque in pluribus habuerunt. Regnante enim apud illos primo rege Nino XLII
regni eius anno Abraham, ad quem primo de Christo promissio facta est, natus est. Regnante
rursum primo apud Romanos Cesare Augusto XLII item regni eius anno promissus
abrahe cunctisque desideratus gentibus nascitur Christus. Notandum preterea quod Au D. M.
gusti regnum regni Christi, qui eius temporibus est natus, in pluribus fuit prenuncium. Ille enim
VIII idus ianuarii ab oriente rediens, regibusque subiugatis ac civilibus malis se
datis, cum triplici triumpho in urbe suscipitur, augustusque vocatur. Iste natus humi
litatque in carne latens, simuliter eadem die id est VIII idus ianuarii, quam nos Epyphaniam di
cimus, stella duce ab oriente tribus adoratur muneribus, apparensque quod ante latuerat
augustus ac rex regum declaratur. Quod quidem tunc prefigurabatur, sed iam completum esse Christum
scilicet non solum in celis regnare, sed et in terris regibus omnibus imperare luce clarius cer